

Infixa utriculo spargat ni tibia cantum,
 Haud ante incipiunt choreae. Antiquissima porro
 Illa eadem quae simplicior: longe omnibus unam
 Hanc tamen anteferunt aliis, quae tendit in orbem.
 Femina virque una nullo discrimine juncti
 Se manibus capiunt: et primum volvere lente
 Se circum incipiunt nutantes, inde figuram
 Circulus amittit (choreae ducis id tribuendum
 Ingenio), et modo fit quadrati forma, modo ovi
 Oblongam in speciem se mutat, littera nunc fit
 Sibila serpentum referens, modo diditur orbis
 In totidem paria, et bini tunc scilicet omnes
 Vir mulierque pedes agitant: summoque is habetur
 In pretio qui plus aliis se obdurat ad illos
 Enormes saltus queis ipsa haud femina parcit,
 Motu incomposito corpus vestemque revolvens.
 In genus hoc choreae agrestis quidam abripit ardor
 Plane illos incredibilis; multasque per horas
 (Deme breves pausas) motu in violente manebunt.
 Dum choreae fiunt, extra cantatur, et ipsi
 Cantibus indulgent saltantes, queis animant se.
 Sæpe adhibent chóricos (inscripti hoc nomine) cantus,
 At nil ad choream facientes; sunt tamen arte
 Multa compositi, nec abest nativa venustas.

Morlachi Illyriis longe plus omnibus ut sunt
 Ad cantus addicti; ita seu ruralibus instant
 Illi operis, capiuntve cibos, vel mutua miscent
 Colloquia inter se vacui, sine cantibus horum
 Nil peragunt
 Si fit, vicini ut sublimia per juga montis
 Sive die seu nocte viator inambulet alter,
 Is repetit versum, cantat quem primus, et, usque
 Dum geminas voces distantia deleat, ambo
 Continuant canere alternis. Hic usus ab annis